Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



panem. Omnesq; tre milg̃ uenerunt in saltum in quo erat mel super faciem agri. Ingressus est uiaq; populus saltum. et apparuit fluens mel. nullusq; applicuit manum ad os suum. Timebat enim populus iuramentum. Porro ionathas non audierat cum adiuraret pater eius populum. Extendit quoq; summitatem uirgule que erat in manu sua. et intinxit in fauum mellis. et retulit manum suam ad os suum. Illuminati sunt oculi eius. Respondensq; unus de populo ait. Iure iurando astrinxit pater tuus populum dicens. Maledictus uir qui comedit panem hodie. Deficiat autem populus. Dixitq; ionathas. Turbauit pater meus terram. Ecce quomodo illuminati sunt oculi mei. eo quod gustauerim paululum de melle isto. quantomagis si comedisset populus de praeda inimicorum suorum quam reperit. Nonne maior facta fuisset plaga in philistiim. Percusserunt ergo in die illa philistiim a machmis usque in ayalon. Defatigatus est autem populus nimis. et ad praedam ruit omnes. et boues et uitulos. et mactauerunt in terra. comedit q; populus cum sanguine. Nuntiauerunt autem saul dicentes. quod populus peccasset domino comedens cum sanguine. Qui ait. Praeuaricati estis. Voluite ad me iam nunc saxum grande. et dixit saul. Dispergimini in uulgus. et dicite eis. ut adducat ad me unusquisq; bouem suum et aries. et occidite super istud. et nescientes. et non peccabitis domino comedentes cum sanguine. Adduxit itaq; omnis populus unusquisq; bouem in manu sua usque ad noctem. et occiderunt ibi. Edificauit autem saul altare domino. Tunc primum cepit edificare domino altare. et dixit saul. Irruamus super philistiim nocte. et uastemus eos usque dum illucescat dies. nec relinquamus ex eis uirum. Dixitq; populus. Omne quod uidetur in oculis tuis fac. et ait sacerdos. Accedamus huc ad deum. Locutus est saul cum deus Num persequar philistiim. si tradis eos in manu israel. Et non respondit ei in illa die. Dixitq; saul. Applicate huc omnes angulos populi. et scitote et uidete peccatum accidit primum hec hodie. Viuit dominus saluator israel. quia si etiam per ionathan filium meum factum est. absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo. et ait ad uniuersum israel. Separamini uos in partem unam. et ego cum ionatha filio meo erimus in parte altera. Responditq; populus ad saul. Quod bonum uidetur in oculis tuis fac. et dixit saul ad dominum deum israel. Domine deus israel da iudicium. Quid est quod non respondisti seruo tuo hodie. si in me aut in ionatha filio meo est iniquitas. da ostensionem. aut si est in populo tuo hec iniquitas da sanctitatem. et deprehensus est ionathas et saul. Populus autem exiuit. et ait saul. Mittite sortem inter me et ionathan filium meum. et captus est ionathas. Dixit autem saul ad ionathan. Indica mihi quid fecisti. Et indicauit ei ionathas et ait. Gustans gustauerim summitate uirge que erat in manu mea paululum mellis. et ecce morior. et ait saul. Hec faciat mihi deus et hec adiciat. quia morte morieris ionatha. Dixitq; populus ad saul. Ergo ne ionathas morietur. qui fecit salutem hanc magnam israel. ij nefas est. Viuit dominus si ceciderit capillus de capite eius in terram. quia cum deo operatus est hodie. Liberauit ergo populus ionathan ut non moreretur. Recessitq; saul. nec persecutus est philistiim. Porro philistiim abierunt in loca sua. et saul confirmato regno super israel. pugnabat per circuitum aduersus omnes inimicos suos. contra moab et filios ammon. et edom. et reges soba. et philistiim. Et quocumq; se uertebat superabat. Assataq;